



Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestria duo

Johannis Strauchi[i] Jcti Amoenitatum Juris Canonici Semestre alterum -
Cum Indicibus

Strauch, Johann

Jenae, 1674

Cap. VII. Ad capitulum IV. de in integr. rest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10241

fuisset. Pontifex in favorem matrimonii, de benignitate canonica ad audientiam mulierem restituit.

CAP. VII.

Ad capitulum IV. de in integr. rest.

SUMMA RIA.

- | | |
|-------------------------|-------------------------|
| 1. Oscensis Ecclesia. | 4. Ilerda, Lerida. |
| 2. Sertoriana Academia. | 5. Hypothesis capituli. |
| 3. Sertorii sepulcrum. | |

*Oscensis Ec-
clesia.*

*Sertoriana
Academia.
Et Sertorii
sepulcrum.
Ilerda, Le-
rida.
Hypothesis
capituli.*

Rescribitur Episcopo & Capitulo Oscensi, in causâ vertente inter Ecclesiam Oscensem & Ilerensem. De illâ, nî fallor, dixi supra, quod urbis sit Episcopalis, olim sub Archiepiscopo Tarragonensi, nunc verò sub Cæsar-Augustano, in regno Arragonio, quâ parte olim Ilergetes Vescetanis, sive Autetanis confines erant, quod fuit etiam causa, ut Osca quibusdam in Vescetanis, vel Autetanis, nonnullis verò in Ilergetibus, ut Ptolomæo, fuisse videatur. Hodiè Huesca appellatur, Academiâ illustris, sed eque Episcopali. Academiam jam olim à Sertorio institutam sunt, qui tradunt, ibidem à conjuratis imperfecto & Liboræ sepultæ. Ilerda, hodiè Lerida, urbs Hispaniæ Tarragonensis, in Cataloniâ, Episcopalis sub Archiepiscopo Tarragonensi. Inde Ilergetes populi, oppida ejus Ilerda, Osca, Burtina, Bergidum, Bergusia, Celsa. Lis, inquam, erat inter hasce Ecclesiæ de quibusdam Ecclesiis, coram Eugenio III. Pontifice, qui secundum Ecclesiam Oscensem sententiam dedit. Inde sedente Anastasio IV. Coelestinus Legatus sedis Apostolicæ de causâ iterum cognovit, neque eam terminavit, & ab Alexandro III. mandatum accepit, ut denuo cognosceret. Alejandro mortuo Coelestinus pontifex factus G. S. Angeli Diacono Cardinali, tum Legato sedis apostolicæ in Hispaniâ eandem causam commisit. Denique tempore Innocentii III. Alanus Canonicus Ilerdensis postulavit à Pontifice sententiam Eugenii III. reformari, & Ecclesiam Ilerensem in integrum restituiri. Tandem Pontifex Capitulo Oscensi unicum terminum peremptorium ad diem B. Luciae assignavit.

CAP.